



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

Nobilitate, Sapientia, Doctrina, Pietate, Omnibvsqve Heroicis virtutibus  
ornatißimis, præstantißimis & clarissimis viris, Dn. Adolpho Hermanno,  
Principatus Haßiæ totius Mareschalcho hæreditario, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

NOBILITATE, SAPI-  
ENTIA, DOCTRINA, PIE-  
TATE, OMNIBVS QVE HEROICIS  
virtutibus ornatisimis, præstantissimis & claris-  
simis viris, Dn. Adolpho Hermanno, Principatus  
Hassiae totius Mareschalcho hereditario, eiusdēm  
que agnatis, Georgio, & Ioanni, Riedeseln in  
Aisenbach, vna cum eorundem liberis atq;  
affinibus, omnibus et singulis, Domi-  
nis & Mæcænatibus suis obser-  
uandissimis, Lucas Loßius

optat

 R AT IAM & pacem ab  
æterno & vero Deo, patre  
domini nostri Iesu Chri-  
sti, & nostro per ipsum:  
Amen. Amplissimi, he-  
roici & magnifici viri, Domini & Mæ  
cænates præstantissimi & clarissimi.  
Admirandum est opus Dei, superans  
omnē sapientiā & vires humanas, col-  
lectio, gubernatio & conseruatio Ec-  
clesiæ & scholarū Dei in humano ge-  
nere. Nam statim à prima promissio-  
ne edita ab ipso filio Dei λογῳ æterni

A 2

patris, Domino & seruatore nostro Iesu Christo , ad primos parentes in paradiſo , Semen mulieris conteret caput serpentis, & tu insidiaberis calcaneo eius.Draco magnus,& serpens antiquus, qui vocatur Diabolus , & Sathan , multis modis coepit non solum insidiari calcaneo filij Dei, hoc est, Ecclesiæ eius , sed etiam prorsus conterere , & funditus eam delere , & tollere ex humano genere, conatus est,ne haberet filius Dei, à quib. rectè agnosceretur , inuocaretur, & celebra retur,in hac vita,& in omni æternitate. Etsi autem malitiosus & callidus spiritus varijs modis , magnaq; astutia insidiatur humano generi, & præcipuè veræ Ecclesiæ, eiusq; membris, tamen filius Dei duos modos nominat, Ioann. 8. vocans Diabolum homicidam & mendacem. Vos(ad Iuda os inquiens)ex patre Diabolo estis, & desiderijs patris vestri vultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in veritate

## PRAEFATIO.

5

tate non stetit : quia non est veritas  
in eo. Cùm loquitur mendacium, ex  
proprijs loquitur: hoc est, non habet  
ex creatione Dei, qua natura seu sub-  
stantia Diaboli bona est, iuxta illud  
Genes. i. Et vidit Deus quæ fecit, & e-  
rant valde bona: sed ex propria mali-  
tia, & voluntate, qua se liberè auertit  
à Deo, odio ipsius filij, quem indigna-  
batur sibi preferri gloria & maiestate,  
qui, vt ad Hebræ. 7. dicitur, splendor  
est gloriæ, & expressa imago substan-  
tiæ patris. Rem omnium primum ag-  
gressus est homicidio. Nam Cain pri-  
mogenitum primorum parentum fi-  
lium accedit odio contra fratrem  
Abelem iustum, hoc est, rectè agno-  
scensem, inuocantem, & colentem  
promissum Mediatorem & Redem-  
ptorem, atque eò tādem immanitatis  
illum perpulit, vt fratrem occideret,  
sperans nullum deinceps nasciturum  
in humano genere fratri tam præstan-  
ti pietate, & virtute similem, qui vel

A 3

## 6

## PRAEFATIO.

ipse, vel ex eo natus, caput serpentis  
cōtriturus esset. Atq; deinde in omni  
posteritate primorum parentum an-  
nis quater mille priuatim homici-  
dijs, & bellis publicè motis hoc vñū  
egit, vt prorsus tolleret humanum ge-  
nus, aut certè familiam, & gentem  
propagatā ex sanctis patribus, Noah,  
Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid,  
per tyrannos Pharaonem, & hostes  
in terra Canaan, reges impios in po-  
pulo Iudaico, per reges Syriæ & Aegy-  
pti, per Antiochum, Romanos, Herodem,  
ne promissum semen, & Siloh,  
vt Iacob vocat, nasceretur, qui caput  
ipsi, iuxta primam promissionem,  
cōtereret & deuastaret regnum eius,  
peccati & mortis. Deinde exhibito &  
nato Christo, quot modis conatus  
est tollere semen, hoc est, eius Eccle-  
siam delere, vt per Herodem infantici-  
cidam? Quod & deinde egit, post eius  
mortem, & ascensionem in coelum,  
per omnes ferè Imperatores, Caligu-  
lam

PRAEFATIO.

Iam, Neronem, Domitianum, Seuerum, Maximum, Decium, Diocletianum, Maxentium, Julianum, & sequentes alios Imperatores omnes, vsq; ad Constantimum Magnum, qui primus inter Cæsares Romanos Christianam religionem complexus est, & defendit, anno Christi 341. Alter modus est, mendacium, quo continentur falsa dogmata, hæreses, falsi cultus, insidiæ, technæ, doli, Sophis- mata, Sycophantiæ, & omnes artes, & corruptelæ, quibus diabolus conatur corrumpere & deformare veram doctrinam Ecclesiæ, & odiosam ac suspectam reddere potentibus, & sapientibus mundi. Hæreticorum & fal- forum doctorum, ingens est catalo- gus in vtraque Ecclesia, veteri ante Christum natum, & noua, post eius mortem, & ascensionem in cœlum, quorum alij personam promissi semi- nis contumelia affecerunt, alij offici- um eius extenuarunt, alij rationem

A 4

8 PRAEFATIO.

applicationis beneficiorum eius, nō per fidem, sed per cultus & sacrificia propria & aliena, vt per Missas, exco-  
gitarunt impiam & falsam: Alij meri-  
tum nostræ salutis partim tribuerunt  
**Christo**, partim humanis virtutibus  
& meritis. Hos doctores omnes & no-  
stra ætas vidit, & etiamnum multos  
habet. Vnum autē adhuc habet, præ-  
ter dicta, Diabolus mendacij genus  
seu mōdum impediendi & delendi  
Ecclesiam, de quo præcipuè hīc lec-  
tō rem admonere volui, videlicet inter-  
dicēdi Christianis, & maximè eorum  
filijs, hoc est, iuuentuti, lectionem  
poëtarum & scriptorum gentilium:  
sicut pontificij ante hæc tempora in-  
terdixerunt Laicis lectionem biblio-  
rum. Nam hac arte vſus est per Iulia-  
num Apostatam, sicut testatur Euse-  
bius Tripart. hist. lib. 7. cap. 17. ne Chri-  
stiani legerent scripta Ethnica, quòd  
videbat ex illis eos sumere rationem  
confutandi ipsorum Ethnicorum im-  
pia

PRAEFATIO.

pia & falsa dogmata, atque ita quasi  
ōnōtōis, vt ipse inquit, ὥτεγοις vulnera-  
rentur. Addit autor repulsos etiam  
esse tum Christianos à militijs, ex qui-  
bus non solūm alebant se illo tempo-  
re multi inopes Christiani, sed etiam  
erat honorificum interesse militiæ.  
Gerebant autē tum bella contra ho-  
stes Imperij, Persas, & alios, quæ bella  
iusta erant & legitima. Verba Eusebij  
sunt hæc: Tum igitur apertè Deo ex-  
osus Imperator (Iulianus) contra pie-  
tatem ponebat leges, & primùm qui-  
dem interdixit Galilæorum filijs (sic  
enim Saluatoris nostri cultores no-  
minabat) poëtarum & Rhetorum, at-  
que philosophorum legere discipli-  
nas, ne proprijs, inquit, pennis, secun-  
dum prouerbium, vulneremur. Ex  
nostris enim armati conscriptioni-  
bus contra nos bella suscipiunt. Ita  
& hodie Turcicus Tyrannus Chri-  
stianis scholas & publicos congressus  
interdicit, ne cognosci, & tradi artes

10 PRAEFATIO.

liberales, & doctrina cœlestis possit,  
vt Christianismus tandem barbari-  
ca, qualis Turcica est, fiat iustitia, *νομοθεσία*. Hac igitur ratione cùm supe-  
rioribus res non succederet, noua, &  
vt ille inquit, alia aggressus est via, in-  
scitia scilicet, & ignorātia literarum.  
Sed nec hæc via satis malitioso spiri-  
tui successit. Quia ab illo tempore,  
quo Julianus scholas, & congressus  
literarios prohibuit Christianis, ma-  
gis magisq; cœpit in Ecclesia accen-  
di, & illustrari doctrina artium omni-  
um, quæ sunt organon omnis cogni-  
tionis, necessariæ & vtilis in Ecclesia  
& imperijs: Et tunc omnium maxis-  
mè accensa est immensa Dei bonita-  
te lux cœlestis doctrinæ & artium. Et  
habent nunc Ecclesiæ & scholæ in re-  
gnis & ciuitatibus Germaniæ mul-  
tos nutritios, defensores & custodes,  
qualis inter multos fuit, Illustrissi-  
mus, & sapientissimus princeps Dn.  
Philippus Landgrauius Hassiæ, he-  
ros

PRAEFATIO.

i

ros verè magnanimus , & constans  
semper propugnator libertatis Ger-  
maniæ, & Ecclesiæ filij Dei nutritius,  
& doctrinæ incorruptæ Euangelij a-  
mator, & defensor : eiusq; nunc talis  
est filius Illusterrimus D. Vilhel-  
mus , cuius sapientia excellens , elo-  
quētia, eruditio, pietas & humanitas,  
aliæque multæ heroicæ virtutes sunt  
cognitæ & celebres in tota Germa-  
nia, atq; etiam in inclyta Lunæburga,  
& D. Philippus cæteriq; fratres pari-  
bus virtutum laudibus ornatissimi,  
& excellentissimi , Domini nostri  
clementissimi. Ego , vt Ecclesiarum  
& scholarum doctores & discentes in  
eis inuitarem ad lectionem historia-  
rum , & Dictorum veterum , selegi  
præcipuas historias , & dicta Christi,  
Cæsarum, Episcoporum , Martyrum,  
Confessorum , & doctorū veteris Ec-  
clesiæ ex Eusebio Cæsariensi, eaq; ver-  
sibus Elegiacis , pro venæ nostræ ari-  
de & senescentis tenuitate reddidi , v.  
tarco

tanto melius ediscantur & mentibus inhærent tenaciùs, propter numeros, quæ de multis vtilibus rebus omnes monent, confirmant in vera religione, cōsolantur in cruce, & persecutionibus, exemplis propositis virtutum, pietatis & constantiæ piorum in confessione cœlestis doctrinæ, & fidei. Deinde deterrent Tyrannos & hostes Dei exemplis pœnarum horribilium, Herodis, Neronis, Juliani, Maxentij, & similiūm ἀλαζόφων humani generis, & pestium Ecclesiæ filij Dei, qui diuinitùs horrendis supplicijs perierunt. Et in exemplis piorum, quos Deus defendit: & impiorum, quos perdidit, conspicitur præsentia Dei, & imago proposita est Ecclesiæ subiectæ cruci & persecutionibus in hac vita, sed quam tamen Deus mirabiliter conseruat & glorificat, atq; adest pijs doctoribus, & gubernatoribus, conseruat vera dogmata de filio Dei, eiusq; diuinitate & beneficijs, contra Cerin-

Cerinthum, Ebionē, Samosatenum,  
Arium, Seruetum, Nestorium, & si-  
miles: tuetur & adeſt recte ſentienti-  
bus, vt Ioanni, Athanasio, Liberio,  
Alexandro, Ambrosio, & mirabiliter  
patefecit inſidias, & technas, quas im-  
pij ſtruunt pijs, omnibus etatibus.

Vestrīs autem Excellentijs, viri am-  
plissimi & clarissimi heroës, totique  
veteri illustri & generoſæ veſtræ fami-  
lię, liberis & cognatis atq; affinibus, li-  
bellum dedico & trado, cùm propter  
multas excellentes & verè heroicas  
virtutes veſtras, ſapientiam, eruditio-  
nem, pietatem & merita erga com-  
munem patriam & Germaniam, tur  
propter humanitatem singularēs,  
& benevolentiam erga omnes ſtudia-  
ſos pietatis, & literarum amanēs:  
quam summam erga me quoqu: D.  
Hermannus & D. Georgius dechra-  
runt, cùm anno 1564. 10. Decem-  
bris, illuſtrissimi Principes & Domi-  
ni D. Vilhelmuſ & D. Philippus  
Land-

Landgrauij Hassiæ, patriæ nostræ, per  
inlytam vrbem Lunæburgam, dedu-  
cerent Illustrissimam Christinam,  
Landgrauiam Hassiæ, sororem, Do-  
minam nostram clementissimam, ad  
Illustrissimum principem Dn. Adol-  
phum ducem Holsatiæ. Nam me, etsi  
ignotum, ad se humanissimè inuita-  
runt, ad colloquia, & ad cœnam, & o-  
mnia in me humanitatis officia con-  
tulerunt, vt facile intelligerem illos  
flagrare præcipuo quodam & vero a-  
more erga omnes doctores & guber-  
natores scholarum, & Ecclesiæ filij  
Dei, & multos in tota generosa fami-  
lia, & inlyto comitatu Hassiaco, pa-  
ria mea, esse ipsis similes. Non igitur  
qibito, viri amplissimi & magnifici  
heroës, hanc nostri mutui amoris &  
beleuolentiæ erga vos significatio-  
nen, gratam fore V.E. & toti familie  
generosæ, heroicæ & illustri, quam  
publica hac dedicatione libelli, vo-  
bis omnib. testatam, ad omnem po-  
steri-

PRAEFATI O.

15

steritatem relinquere volui. Aeter-  
nus pater Domini nostri Iesu Christi,  
& hic coëternus eius filius, & Spir-  
itus sanctus, regat, defendat, & conser-  
uet Illustrissimos principes, Domi-  
nos nostros clementissimos & V. E.  
quàm diutissimè incolumes & floren-  
tes, cum coniugibus honestissimis,  
liberis, & tota familia heroica, ad no-  
minis sui sanctissimi gloriam, saluta-  
rem & pacificam gubernationem, &  
defensionem inclytæ patriæ nostræ,  
vestramque ipsorum salutem, & cor-  
poris & animæ veram & sempiter-  
nam. Amen. Data Lunæburz

gæ Saxonum, Anno 1570.

Calend. Ianuarij.

OS SG



AD